

Die 20 Ianuarii  
S. Euthymii, abbatis

*Ant. ad introitum*

**B**enedictus vir, qui confidit in Dómino, et erit Dóminus fidúcia eius; et erit quasi lignum, quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas; et non timébit cum vénérat aestus.

*Collecta*

Deus, qui ómnia pro te relinquéntibus in hoc sæculo céntuplum, et in futúro vitam ætérnam promisisti, concéde propítius : ut, sancti Euthymii abbátis intercessióne, discámus terréna temperáre desidéria, et Te super ómnia semper inquirere.  
Per Dominum.

LECTIO PRIOR

«Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis»

Léctio Epistolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses 3, 12-17

Fratres :

Indúite vos sicut élécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, pa-tiéntiam, supportántes invicem et donántes vobis ipsis si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dominus donávit vobis ita et vos; super omnia autem haec caritátem, quod

est vínculum perfectiónis. Et pax Christi dominétur in cor-dibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno corpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetíspos psalmis, hym-nis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus ves-tris Deo; et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 62, 2. 3-4. 5-6. 8-9 (R. 2b.)

R. Sitívit in te ánima mea, Deus meus.

- 1 Deus, Deus meus es tu, ad te de luce vígilo.  
Sitívit in te ánima mea,  
te desiderávit caro mea. R.
- 2 In terra desérta et árida et inaquósa,  
sic in sancto appárui tibi  
ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam. R.
- 3 Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas,  
lábia mea laudábunt te. R.
- 4 Sic benedíc te in vita mea,  
et in nómine tuo levábo manus meas. R.
- 5 Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea,  
et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. R.
- 6 Quia fuísti adiútor meus,  
et in velaménto alárum tuárum exsultábo. R.

7 Adhaésit ánima mea post te,  
me suscépit déxtera tua. R<sub>7</sub>.

ALLELUIA

Ps 132, 1

R<sub>7</sub>. Allelúia. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre  
fratres in unum. R<sub>7</sub>. Allelúia.

EVANGELIUM

«*Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me centuplum accipietis.*»

† Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum 19, 27-29

In illo tempore :

Dixit Petrus ad Iesum: « Ecce nos relíquimus ómnia et  
secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? »

Iesus autem dixit illis: « Amen dico vobis quod vos,  
qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hó-  
minis in throno glóriæ suæ, sedébitis et vos super thronos  
duódecim iudicántes duódecim tribus Israel. Et omnis qui ré-  
liquit domos vel fratres aut soróres aut patrem aut filios aut  
agros propter nomen meum, céntuplum accipiet et vitam  
ætérnam possidébit. »

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Inténde múnera, quaésumus, Domine,  
altáribus tuis pro sancti Euthymii memória propósita,  
et sicut illum Verbi tui Incarnati mystérium défendere fecísti,  
ita nos in veræ fidei professióne  
stábiles usque ad mortem permanére concédas.

Per Christum.

*Ant. ad communionem*

cf Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos qui reliquistis ómnia, et secúti  
estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

*Post communionem*

Divíni múnneris participatióne refécti,  
quaésumus, Dómine Deus noster,  
ut, exémplo beáti Euthymii,  
mortificatióne Iesu in córpore nostro circumferéntes,  
tibi soli adhærére studeámus.

Per Christum.